Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



salutis per manum tuam reficientem quae fecisti. Egisti ergo
mecum ut persuaderetur romam pergere et potius ibi docere quod
docebam cartagini. Et hoc unde mihi persuasum est non praeteribo
confiteri tibi. quoniam et in his altissimi tui recessus et praesentis
sima in nos misericordia tua cogitanda et praedicanda est. Non ideo
romam pergere volui quod maiores quaestus maiorque mihi digni
tas ab amicis qui hoc suadebant promittebatur. quamquam et ista
ducebant animum tunc meum. sed illa erat causa maxima
et pene sola quod audiebam quietius ibi studere adolescentes.
et ordinatiore disciplinae coercitione sedari. ne in eius
scolam quo magistro non utuntur passim et proterve irruerent. nec
eos admitti omnino nisi ille permiserit. Contra apud carta
ginem feda est et intemperans licentia scolasticorum. Irrumpunt
impudenter et prope furiosa fronte perturbant ordinem quem
quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa iniurio
sa faciunt mira hebetudine et punienda legibus nisi con
suetudo patrona sit. hoc miseriores eos ostendens quo iam
quasi liceat faciunt quod per tuam aeternam legem numquam lice
bit. Et impune se facere arbitrantur. cum ipsa faciendi ce
citate puniantur et incomparabiliter patiantur peiora quam
faciunt. Ergo quos mores cum studerem meos esse nolui eos
cum docerem cogebar perpeti alienos. et ideo placebat ire
ubi talia non fieri omnes qui noverant indicabant. Verum
autem tu spes mea et portio mea in terra viventium ad mu
tandum terrarum locum pro salute animae meae et carthagini
stimulos quibus inde avellerer admovebas. et romae illece
bras quibus attraherer proponebas mihi per homines qui diligunt
vitam mortuam. hinc insana facientes inde vana polli
centes. et ad corrigendos gressus meos utebaris occulte